

Ernst Cothmann Johann Cothmann

## **Disputatio Anniversaria De Iurisdictione**

Rostochii: Pedanus, 1611

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730617300>**

Druck Freier  Zugang



Verf.: J. Cothmann  
E. Cothmann. 16  
R. U. jur. 1611.



Disputatio Anniversaria  
DE  
JURISDI-  
CTIONE


Quam  
AUSPICE ET DUCE CHRISTO  
*Sub Presidio*

D. ERNESTI COTHMAN  
Juris Doctoris & Professoris,

*Habebit*

In florētissima Principum Megapol: Academia  
JOANNES COTHMAN.

Ad X. Augusti in Auditorio Majori initio ad  
horam 6. matutinam facto.



Rostochi

typis JOACHIMI PEDANI, Anno  
M. DC. XI.

HEROI INCLYTO

Illustrissimo ac Generosissimo Domino, Dn. SIMONI Seniori, Comiti  
& Nobiliori Domino Lippiensi, SS. Casareæ Majestatis Consiliario  
Sapientissimo, Amplissimæq; Nationis VWestphalicæ Circuli  
Capitano summo Dn. meo Clementiss.

VITAM ET IMMORTALE NOMEN.

**S**I ideo nonnulli se Principum, Magnatum, Virorumq; præstantium nomina suis  
Laboribus rectè præfigere autuant, quod vel eosdem maximos & egregios bo-  
norum Artium ac Scientiarum Fautores & Patronos noverint, vel quod sibi illorum  
Clementiam Gratiâ ac Favore conciliare cupiant; Certè Heros Inclute Domine Cle-  
mentiss. ego hac vice multò magis Ill. I. G. primitias ingenij mei & exercitij publica  
demissè offerre debui & volui; quod non solum omnium generis virtutes, quibus Heroicū  
tuum pectus condecoratum est, ipsemet aspexerim; Srenuum Te & Illustrē Studiorū  
Mæcenatem cognoverim, Clementiam & favorem ulteriōrē submissè mihi concilia-  
re optem; Verum etiam alias causas habeam, quæ me ad Illustriss. Generositatis  
Tuae limen hoc tempore devotè salutandum detrudunt. Succedendo namq; Majori-  
bus meis, quos Illustriss. S. T. Proavis Atavisq; ante plurimam annorum seriem  
in Vasallos assumere clementer placuit, ego etiamnum eâ quâ par est animi submis-  
sione agnosco Te Feudi Dominum; Prosecuta est Illustriss. T. G. Parentem meum,  
dum vitam agebat, tantâ gratiâ amore & beneficijs eaq; tam varijs, quæ veminem  
in patriâ meâ latent, indicijs declaravit, ut eâ de causâ multis nominibus Ill. G. T.  
obstrictum me esse jamdudum agnoverim. Cum verò occasionem, quâ devotissimam  
meam gratitudinem reipsâ probare possem, quotidie quaererem, ecce de novo, cum  
ante annum Illustriss. G. T. aderam, Eadem etiam Me iuvenem & immeritum non  
tantum magnâ gratiâ, & comitate excepit, & dignata est, sed & illam ipsam RE-  
IPSA erga me clementissimè & liberalissimè declaravit, quod ipsum sane non nisi  
ad benignissimum & propensum Ill. G. T. erga me animum referre possum, qui  
ejus, quam Parenti meo (cujus quoq; integritatis laudem tum temporis ex Ill. G. T.  
cum ingenti voluptate audiebam) exhibuit, faventia & amoris me licet indignum  
quasi heredem esse voluit. Tantam igitur Clementiam, tot beneficia mecum repu-  
tans, Dissertationem hanc de Jurisdictionis materiâ subtili per se ac difficili, Inter-  
pretum verò commentis plane obscuratâ Præsidente Dn. Fratre meo ut naturâ, sic  
optimis consilijs ac beneficijs Patre venerando à me habitam Illustri & Magnifico No-  
mini Tuo in grati animi debitæq; submissionis signū consecrare volui; Quam ut Ill.  
G. T. sereno vultu accipiat, meq; sibi clementissimè commendatum habeat, est quod  
ab Eadem devotè contendam. Hisce Ill. G. T. Præpotenti Deo humilimè com-  
mendo qui illam cum totâ Illustriss. Domo in pace & tranquillitate optatâ divisi-  
mè florentissimèq; conservet. Dabam Rostochij 2. Augusti Anno 1611.

Ill. G. T. Humil. & Subjectiss.

JOANNES COTHMAN.



## THESIS I.

Urisdictio à jure dicundo nomen accepit.

### II.

**J**urisdictio est notio ac potestas vel simpliciter & absolute, vel modo quodam, de causis & negocijs tam criminalibus quam civilibus legitime cognoscendi statuendi & exequendi.

### III.

Indè Jurisdictio alia civilis alia criminalis dicitur.

### IV.

Et utraq; vel est ordinaria vel extraordinaria.

### V.

Jurisdictio civilis ordinaria est notio causarum civilium, quæ jure magistratus competit cum imperio.

### VI.

Nam Jurisdictioni imperium cohæret, & jurisdictio imperio inest, quod inde mixtum dicitur imperium.

### VII.

Ex quo consequitur jurisdictionem & imperium ad-  
versas species non constituere, sed misceri, & unam spe-  
ciem facere, adeoq; quicquid imperij mixti est, id etiam esse  
jurisdictionis, & rursus, quicquid est jurisdictionis, id  
etiam esse mixti imperij, et si quandoq; aliquid magis im-  
perij quàm jurisdictionis & vice versa aliquid magis juris-  
dictionis quàm imperij esse rectissimè dicimus.

### VIII.

Jurisdictio civilis extraordinaria est notio causarum  
civilium, quæ vel lege, vel jussione aut rescripto sive con-  
stitutione principum data extra ordinem expeditur.

### IX.

Jurisdictio criminalis ordinaria est notio quæstio, exercitio & executio causarum criminalium vel simpliciter & omnimodè jure regio, vel lege, senatusconsulto, aut principium constitutione specialiter & certo quodam modo ex legum ordine & præscripto competens.

### X.

Hinc merum imperium natum est, & inde dictum, quod scilicet à jurisdictione, quæ jure magistratus competit, secretum sit, & certo modo detur.

### XI.

Et, à potiore sui parte, jus gladij vel alterius alicujus gravioris coercionis, sive potestas coercendorum facinororum lege data definitur.

### XII.

Extraordinaria jurisdictio criminalis est, notio & executio criminis arbitraria, quæ sine certa forma & sine ordine certo expeditur, & pœnam non ex legis præscripto, sed ex arbitrio judicis exequitur.

### XIII.

Hinc quæsitum est, an hodiè postquàm actionum formulæ solemnes sunt sublatae, & ordo exercendorum judiciorum vetus in usu esse desijt, & pœnæ pleræq; ex incerto jus dicentium arbitrio pendent, jurisdictio quoq; ordinaria simul penitus interierit? Quod non putamus.

### XIV.

Cæterùm quia jurisdictio tam criminalis quàm civilis adversus invitos exercetur, & pro tribunali expeditur, inde contentiosa jurisdictio dici cepit.

### XV.

Cui opponitur jurisdictio voluntaria, quæ involentes

tes

tes exercetur, cujusmodi est, quæ de adoptionibus manumissionibus & similibus legis actionibus exerceri solet.

XVI.

Civilem jurisdictionem magistratus vel in universum vel per singulas partes & species quandoq; mandant: Undè mandatæ jurisdictionis species surrexit, Cui jurisdictio propria opponitur.

XVII.

Sed & litigatores quandoq; se alienæ jurisdictioni sponte subjiciunt. Quæ prorogata dicitur jurisdictio.

XVIII.

Deniq; moribus nostris jurisdictio alia dicitur secularis, alia ecclesiastica. Illius caput Imperatorem, hujus caput Pontificem constituunt.

XIX.

Ecclesiastica jurisdictio vel est ordinaria, quæ est notio jure collatæ dignitatis & officij competens cum imperio, vel delegata, quæ est notio aut ordinarij ecclesiastici magistratus, aut à Papa delegati mandato concessa & injuncta.

XX.

Ecclesiasticæ jurisdictionis species est jurisdictio Academica, quæ iisdem privilegijs cum jurisdictione ecclesiasticâ utitur & fruitur.

XXI.

Jure regio simpliciter & absolutè jurisdictionem exercent Reges aliq; superiorem non recognoscentes.

XXII.

Sed & Consules Regibus exactis, Dictatores, Decemviros legibus scribundis, & cæteros similem summam potestatem habentes potestate aliquâ regiâ jus dixisse magis est.



### XXIII.

Cæteri magistratus jurisdictionem quidem civilem suo magistratus jure, sed criminalem non nisi ex legis, Senatusconsulti vel Principum constitutionis speciali delegatione exercent, puta, Proconsules, Præsides, Præfecti urbi, & similes. Quin & privatis de crimine cognoscendi, quærendi & statuendi jus & potestas lege dari potest.

### XXIV.

Sed & jurisdictionem civilem extraordinariam illi soli expediunt, quibus id lege concessum est.

### XXV.

Materia circa quam sunt personæ & causæ tam civiles quam criminales, tam publicæ quam privatæ, in quas jurisdictio & imperium exercetur.

### XXVI.

Materia jurisdictionis in qua, est territorium.

### XXVII.

Forma ordinariæ civilis jurisdictionis præcipuè in eo consistit, quod is, qui jurisdictioni præest, jure magistratus id faciat, & jure ordinario in causis civilibus, judicem det, eumq; jure ordinario cognoscere & judicare jubeat.

### XXIIX.

Forma jurisdictionis civilis extraordinariæ ex legis, Senatusconsulti, vel Principum constitutionis concessione & modo de causis civilibus æstimanda est.

### XXIX.

Forma jurisdictionis criminalis consistit in cognitione, quæstione, exercitatione & executione criminum omnimoda & absoluta si jure regio crimina coerceantur.

Forma

XXX.

Forma meri imperij primum ex eo censenda est, quod merum imperium non nisi ex legis, Senatusconsulti, vel Principum constitutionis delegatione competat.

XXXI.

Deindè, quod non nisi nominatim & specialiter datum competat.

XXXII.

Tertiò, quod singulas causas, partes & species, quæ de imperio illo delegantur, certæ personæ præcisè dictari & exprimi necesse sit.

XXXIII.

Hinc est, quod illi, quibus gladij jus lege datum est, jus tamen deportandi vel atrociter verberandi non habeant. Et ita de similibus.

XXXIV.

Hinc est, quod merum imperium alijs mandari non possit.

XXXV.

Eadem forma est legis actionum ex legis, Senatusconsulti, vel Constitutionis Principum delegatione censenda. Quæ ipsæ etiam legis actiones alijs mandari nequeunt.

XXXVI.

Ad formam quoq; referendum est, quod ea, quæ pro tribunali tractari oportet, alibi expediri non possint.

XXXVII.

Sed & ad formam pertinet, ne quis supra rem & quantitatem suæ jurisdictionis sive supra modum jurisdictionis jus dicat.

XXXIIX.

Cæterum superiora partim temporum vicissitudine,  
A 4 partim

partim Interpretum imperitia valdè sunt immutatâ, tandemq; tres jurisdictionis species constitutæ, merum scilicet imperium, mixtum imperium, & jurisdictio simplex.

XXXIX.

Quas jurisdictionis species auctoritate quidem Interpretum asserere facile licet, sed easdem ex juris Romani fontibus derivare & tueri omninò frustrâ est.

XL.

Quin & hodiè nullum prorsus imperium merum esse, acutissimè & verissimè Jacobus Cujacius censuit.

XLI.

Jurisdictionem in genere sumptam Interpretes definiunt potestatem de publico introductam, cum necessitate juris dicendi & æquitatis statuendæ.

XLII.

Quæ definitio non tantùm à jure Romano discedit, sed & per se vitiosa est.

XLIII.

Merum imperium dicunt esse jurisdictionem, quæ officio Judicis nobili expeditur, & utilitatem publicam respicit.

XLIV.

Hæc definitio neq; Romanis neq; nostris moribus congruit.

XLV.

Mixtum imperium affirmant esse jurisdictionem, quæ officio judicis nobili expeditur, & utilitatem privatam respicit. Sed & definitio ista eodem vitio laborat.

Juris.

XLVI.

Jurisdictio simplex illis est, jurisdictio, quæ officio judicis mercenario expeditur, privatam utilitatem respiciens. Et id quoq; satis ineptè.

XLVII.

Receptor & concinnior est jurisdictionis divisio in superiorem & inferiorem jurisdictionem.

XLIX.

Superior jurisdictio est in cognitione, exercitatione, adjudicatione & executione causarum criminalium majorum.

XLIX.

Inferior jurisdictio est in causis pecuniarijs & leviorum criminum animadversione,

L.

Indè quæsitum est, stupri cognitio & punitio utrum superiori an inferiori jurisdictioni adscribenda sit? Nos illam ad inferiorem jurisdictionem pertinere non ambigimus, moti tam juris ratione, quàm rerum ita judicatarum autoritate.

LI.

Finis jurisdictionis est justiciæ administratio ad Dei gloriam & salutem populi relata.

LII.

Effectus jurisdictionis præcipuus est Decalogi conservatio & executio.

LIII.

Sed & ad effectum referendæ sunt actiones, quibus jurisdictionem tuemur.

LIV.

Contraria sunt: Jurisdictionis abusus, vis & injuria sub specie juris vel fiducia magistratus illata, jurisdictio-  
num

num confusio, jurisdictionum quaquâ arte & quoquo modo per vim, dolum vel fraudem facta productio. Præscriptio quoq; huc referri potest.

## Coronis.

### I.

*Vtrum concessâ universâ & omnimodâ jurisdictione, merum mixtumq; quod hodiè appellamus, imperium simul transferatur, quasi sum est? Rectius sentiunt qui id affirmant.*

### II.

*Sed an Regalia concessione omnimoda jurisdictionis acquirantur tractari potest? Id negamus.*

### III.

*Regalia propriè ab illis solis, qui jus Regium vel simpliciter vel quodam modo possident, haberi & usurpari defendemus.*

### IV.

*Per alienum territorium, si quis maleficum ducere velit, utrum id suo jure facere possit, an verò veniam ducendi à territorij Domino impetrare teneatur, in questionem vocatum*

catum scimus? Nos venia opus esse arbitramur.

V.

Jus castri tempore necessitatis aperiendi superioritatis notam & argumentum esse verius est.

VI.

Superioritatis jus quid sit anxie multi inquirunt? Dubium nullum est, quin sit jus quoddam regium, sive summa alicujus potestatis jus meroque mixtoque imperio sublimius.














XLVI.

simplex illis est, jurisdictio, quæ officio ju-  
rio expeditur, privatam utilitatem respi-  
quoq; satis ineptè.

XLVII.

& concinnior est jurisdictionis divisio in  
inferiorem jurisdictionem.

XLIIIX.

Jurisdictio est in cognitione, exercitio,  
& executione causarum criminalium majo-

XLIX.

Jurisdictio est in causis pecuniarijs & levio-  
animadversione,

L.

litum est, stupri cognitio & punitio utrum  
inferiori jurisdictioni adscribenda sit? Nos  
orem jurisdictionem pertinere non ambigi-  
juris ratione, quàm rerum ità judicatarum

LI.

Jurisditionis est justiciæ administratio ad Dei  
atem populi relata.

LII.

Jurisditionis præcipuus est Decalogi con-  
secutio.

LIII.

effectum referendæ sunt actiones, quibus  
in tuemur.

LIV.

ia sunt: Jurisdictionis abusus, vis & injuria  
s vel fiducia magistratus illata, jurisdictio-

LIIII